

II.

Brachium argentea lamina obductum cum manu ex argento solido, continet, ut ex inscriptione liquet

BRACHIUM S. LAURENTII martyris, de quo Martyrologium Romanum ad IV. Idus Aug. *Laurentius Archidiaconus in persecutione Valeriani (secundum alios Decii) post plurima tormenta carceris, verberum diversorum scorpionum, fustium & plumbatarum, & laminarum ardentium, ad ultimum in craticula ferrea assatus, martyrium complevit.*

Plumbatae, uti habet fratrum Macrorum Hierolexicum, genus martyrii est; quod fit per flagellum cum funiculis, ad cuius extremitates pendebant plumbeae pilulae, quo tantum Nobiles percutiebantur.

III.

Machina argentea deaurata operis Græci formam monstrantiae, in cuius medio per vitrum conspicitur

I. Hierotheca ex atiro solido cum hac inscriptione:
 ΛΙΨΑΝΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ
 ΒΛΑΣΙΟΥ. h. e. Reliquia sancti Episcopi martyris Blasii. Martyrologium Romanum ad III. Non. Febr. *Sebaste, inquit, in Armenia passus est S. Blasius Episcopus & Martyr, qui multorum patrator miraculorum, sub Agricola Præside post diuturnam cessionem, atque in ligno suspensionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus*
 diru-